

*Deo Adjuvante,*

# VERITAS CHRI- STIANÆ RELIGIONIS APHORISMIS NONNULLIS AD SERTA,

QUOS  
SUFFRAGANTE AMPLISS. PHILOSOPH. ORD.  
IN ILLUSTRI AD AURAM ATHENÆO,

Sub PRÆSIDIO

VIRI, SUMME REVERENDI atque CELEBERRIMI

# DNI C A R O L I MESTERTON,

S. S. Theol. Doct. nec. non Log. & Methaphys.  
PROFESS. Reg. & ORD.

PRO GRADU,

*Publico examini subjicit*

# ISAACUS ROTHOVIUS, Joh. Fil.

SATACUNDENSIS,

IN AUDITORIO MAJORI DIE XXIV. MARTII.  
ANNI MDCCLX.

H. A. M. S.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL.

*See Råbergs*

## APHORISMUS I.

**Q**ui usum Philosophiæ in Theologia negant eorum sententia, & quidem jure meritoque, jam dudum est explosa. Neque impius Spinoza usum rationis formalem, qualis ponitur in hermeneuticis & Logicis operationibus, inficias iverat; risui omnino ille se exponeret, qui rationem tanquam instrumentum non admitteret, quo fidei conclusiones ex suo principio deducuntur. Fallit igitur falliturque Huetius dum in *Demonstratione sua Evang.* §. IV. Viam sensuum & rationis, per quam in animos nostros illabitur cognitio rerum, obscuram esse, anicipitem & falacem jacitat. Nam, præterquam quod hic sibi non consentiat, cum proxime superiori §. III. edisseruit: *Veritatem religionis Christianæ posse demonstrari ex principiis moralibus, quibus fidem experientia magistra conciliat, que nemine contradicente ac tritissimo per vulgatissimoque omnium usu & consensu recepta sunt:* deplorari satis nequit, quantos cuniculos tam ad Theologiam, quam ad Philosophiam egerit Auctor, quod rationi & sensibus suam certitudinem ademerit. Nam quæri merito debet: quo pacto i:o. Historice esse vera tam facta quam acta S. codice contenta ostenderit Auctor, nisi per experientiam via sensuum adquisitam, ex testimonio Sacrorum Viatorum ipsi constiterit, illa ita evenisse, prouti hi perhibue-

hibuerunt & absque omni fraudis suspicione literis man-  
darunt. Qua ratione quis 2:o. miracula imprimis es-  
se Logice vera noverit, nisi rationis ductu, quæ in-  
cipit a sensibus disquirere, probaverit, factis mira-  
culosis definitionem veri nominis miraculorum com-  
petere. Exposituro veritatem religionis nostræ per-  
necessarium quoque erit 3:o. indicare, miracula de-  
stinata esse ad certam veritatem probandam, quod  
sine rationis ope iterum fieri, nemo præter Hueti-  
um, dixerit. Cur vero vir hic ceteroquin erudi-  
tissimus eiusmodi paradoxa mente sua foverit, inde  
procul dubio proveniebat, quod rationem fidei ad-  
versam crediderit. Proinde, ne hoc cuiquam scru-  
pulum moveat, dicam generatim ad rei illustratio-  
nem, per rationem in S. codice, semper nexum  
rerum indigitari. Observaruntque viri docti quod  
ratio 70. vicibus in bonam, ter aut quater in de-  
teriorum partem sumatur. Unde colligimus, quo-  
niam nexus esse potest vel verus, vel adparens, se-  
qui, rationem in malam partem sumtam denotare  
nexum adparentem, qualem falsæ ratiocinationes præ-  
struunt, id quod Coll. II. 4: patet. Sed unum ex  
altero secundum nexus rerum rite inferre, prout  
id evincit vox λόγος cum suis derivatis λογισμος &  
λογίσθαι, Auctoritate S. Scripturæ nunquam damna-  
tur. Et hæc etiam est ratio, cur Theologia Natu-  
ralis, rationis principiis superstructa, vocetur in S.  
Scriptura veritas.

### APHOR. III.

**S**ingularis S. Scripturæ & Divinam ejus originem  
arguens

arguens, est illa adfectio, quod nulla tam sublimis veritas in circulo scientiarum Philosophicarum excogitari possit, quin eadem quoque dictis S. Codicis, vel probari, vel nullam saltem cum his repugnantiam habere, dici queat. Mirum, cur, qui alios sapientia excellere sibi persuadent Fortes sic dicit spiritus, illud οἼον non cernant, quod insuper occasione modernorum etiam inventorum Mathematicorum attento Lectori ad oculum claret; quale illud est, quod de parallaxi stellarum fixarum perhibetur. Quemadmodum enim determinandæ harum immensæ inter se distantiæ, diameter Telluris, quippe quæ tota quanta instar puncti hic solet æstimari, non sufficit; ita parallaxin non dari recte Mathematici demonstrarunt; sed ipsa hæc veritas, quæ in puto quasi Democriti per longum temporis spatium latuit, & non nisi singulari cura & per exquisitissimas observationes in lucem protrahi potuit, in Saero Codice materialiter jam dudum inventa erat Eſaj. 40. 12. Sed quis tñquam sibi perfvaderet hæc & alia naturæ Mysteria, potuisse ab hominibus rudioribus, quales eo tempore fuerunt, qui hæc anno tarunt, Sacri Viri, ita tradi, ut jam rigorem sustineant Mathematicum; nisi altioris Spiritus inducti, manum super ejusmodi rebus, calamo admovissent.

## APHOR. III.

**T**antam imprimis vim & efficaciam, in adstruenda veritate fidei Christianæ, adfirmamus, vaticiniis eventui exacte respondentibus, ut homo gentilis, si modo ad illa attenderit, nihil omnino habe-

habeat, quid iis opponat. Hinc Porphyrius, infestissimus Christianæ religionis hostis, postquam Danielis Vaticinia de revolutionibus tam imperii Persici, quam imprimis Græcanici legerat, eaque cum evenitu rerum gestarum apprime convenire deprehenderat, obmutuit plane, cavillando tantum, Proprietatem Danielis justo recentiorem esse, & tempore primum Antiochi Epiphanis editam; quod tamen neque ipse Porphyrius, neque aliis quisquam probare potuit; adeoque, neque illud, quod de tempore exscindendi Messiæ, apud Danielem Cap. IX. 24. legitur, ullus in dubium vocabit, quin, quo Angelus prædixerat Christum morti dandum, eodem quoque temporis tractu, idem in secula benedictus Salvator crucifixus fuerat.

APHOR. IV.

**H**inc Psalmum 110. neque de Abrahamo, neque de Melchisedeco Rege, aut nullo alio, quam de Christo intelligendum censemus, id quod primum inde patet, quia Christus eundem Psalmum ad se Matth. XXII. v. 44. applicat. Imprimis versus 3. laudatæ Odæ referri debet ad significandam ecclesiam vera fide in Messiam credentem. Ubi simul sub novi scederis tempore, felicissimis auspiciis, gentes sacris Christianis initiandæ, in sensum venire debent; quod ut clarius dispalescat, ex ipsis verbis in prædicto commate tertio occurrentibus, sensum genuinum eruam; & quidem strictim, quemadmodum per Aphorismos fieri potest & debet: nimirum loquitur ibi Psaltes de Pöpulo Messiæ nascendo, ade-

oqua tali, qui vocationi Divinæ malitiose semet non  
opponeret. Quapropter, quod 1:0 observabimus, or-  
nabitur idem Populus decoribus sanctitatis; hæc  
per parallelismum scripturæ erunt, justitia Christi  
fide imputata & quæ inde sequitur, vitæ sanctitas  
Ez. LXI. 10. Gal. III. 27. 2:0 terminus a quo Popu-  
lus sic ornari debeat: est מחרם ab utero au-  
rora. Jam licet aurora ut hic impropre sumta va-  
ria significare possit, ex scopo tamen textus hoc  
loco non nisi cognitionem rerum Divinarum saluta-  
rem & ipsam illuminationem denotabit; id quod ex  
2. Pet. I. 19. evincitur, ubi ejusmodi illuminatio,  
quam ex diligenti Scripturæ Sacræ Scrutinio, conse-  
quimur, splendor Diei & ortus luciferi in Animis  
nostris vocatur, quo spectat dictum Ez. VIII. 20.  
Quod si jam perpenderimus illuminationem saluta-  
rem per regenerationem fieri, sequitur, quod רחם  
hic per metaphoram intellecta significabit regene-  
rationem spiritualem, carnali oppositam. Et quoni-  
am בָּרָן in famosiori sensu etiam denotat locum,  
quo fœtus generatur, patet, si porro quæramus,  
ubi ipsa generatio illa spiritualis fiat, non alibi il-  
lam inveniri posse, quam in Ecclesia, quæ nostrum  
omnium mater est Gal. IV. 26, cui sua præsentia  
etiam Christus adest; & quatenus in eadem ver-  
bum domini prædicatur, & sacramenta rite administrantur,  
catenus etiam ibidem fœtus fit spiritualis formatio ex semine  
verbi & ex Sacramentis, ut simul Filii DEI nascantur. At-  
que sic ejusmodi conventus in Nomine JESU in unum col-  
lectus erititterus aurora spiritualis; ex quo per illuminatio-  
nem verbi sœcundato, prodibunt Filii DEI, vestibus, ut  
dixi-

ג ) ४ ( ב

diximus sanctitatis induti. Hi deinde juvenes Messiae vocantur; quod innuit vox יְלָתָה quare & Messias Es. IX. 6. pater appellatur. Sed 3:0 quantus hic numerus sit juvēnum Messiae s. collective loquendo Messiae Juventutis, indicat vox הַל nimirum quemadmodum הַל seu ros exoriēnte Aurora mirum in modum, tempore matutino magna fœcunditate nascitur & augetur, sic quoque Filii Messiae insigniter nascuntur. Quibus sic expositis nullum erit dubium, quin singula, quæ prædixerat Vates Sacer, eventu suo comprobata sint, quemadmodum id quisque intelligit, qui paulo penitus perpenderit repentinam Religionis Christianæ propagationem, ut dum hæc fulminis instar intra unum seculum orbem illustravit, non potuerit non, egregius existere undique numerus Filiorum nascendorum Messiae. Quin immo per prædicationem verbi & usum Sacramentorum numerus idem indies magis magisque augetur.

#### APHOR. V.

**Q**uod Auctor observationum Hallensium, voce שׂוּעָלִים, quæ judic. XV. 4. obvenit, manipulos intellexerit, inde provenire videtur, quia vocales Ling. Hebr. literis non esse coævas adeoque illas impunè, prout cùdam placuerit, fingi & formari posse falso putavit. Proinde si verum hujus dicti sensum in alienum ideo detorqueat Auctor, ut devitet objectam ab incredulis absurditatem de 300. vulpium captura, impium primo putamus ejus esse conamen & præter rem omnem ad auctoritatem S. Sacrae infringendam suscepit; quia constat vulpibus ita abundasse Palestinam, ut Samsoni viro potenti & tunc temporis judici non difficile fuerit tot, quot earum satis putabat, sibi parare. Deinde si שׂוּעָלִים, manipulum significaret, haberet illud in plurali שׂוּעָלִים, vel שׂוּעָלִים, & non ut in textu prostat שׂוּעָלִים, quod vulpes significat.

#### APH. VI.

## APHOR. VI.

**E**X nexu vers. 7. Epist. I. Joh. V. cum antecedentibus, ut & inde quod Patres ante Concilium Nicænum eundem in controversiis cum hæreticis motis, ex suis Bibliis allegaverint, certo certius asserimus laudatum comma apud Johannem, in textu per fraudem, ut increduli volunt, minime gentium irrepsisse.

## APHOR. VII.

**P**letatem & experientiam spiritualem, licet hæ funda-  
menta non substernant interpretationi S. Scripturæ,  
intuitivam tamen veritatum cœlestium cognitionem promo-  
vere, pro vero, omni exceptione majori habemus.

## APHOR. VIII.

**E**X eo, quod Salvator optimus ad Mosen & Prophe-  
tas, non vero ad miracula solum provocaverit, col-  
ligunt & quidem non sine ratione, nonnulli, miracula non  
abstrakte, sed connexa cum aliis immotæ veritatis factis,  
religionem probare Christianam. Cui male Craigius con-  
sulit, qui novam Oeconomia Divinæ Epocham eo tempore  
a Christo putat erectam, quo pæne ad finem pervenerat credi-  
bilitas testimoniorum Mosis, & deinde novam iterum erigen-  
dam tum præfigerat, cum probabilitas historiæ de Christo  
ad finem percurreret. Verum enimvero, quod ille de proba-  
bilitatum gradibus computat, id de testimoniis humanis dici  
potest, minime vero extendi debet ad testimonia Divina, quæ  
semper in credentibus efficacia sunt. Ceterum facto jam medio  
reconciliationis, quod infectum fieri nequit, positaque hac no-  
stra præsenti ad Deum relatione semper manente eadem, prout  
etiam manebit, quatenus corruptam nostram naturam in hac  
mortalitatis valle exuere nunquam possumus, prono fluit al-  
veo, Christianam religionem non prius mutari, quam omnia  
rerum venerit

FINIS.